



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. De Oppositione Propositionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

etiam, rationem hypotheticam non habere.

7 His premis propositionem hypotheticam sic definio:
Propositio hypothetica est illa, cuius predicatum restringitur per additum, significando tantum dependentiam, & non inesse. Hæc definitio recte explicat naturam propositionis conditionatæ, quia in hac propositione, si Sol lucet dies est, existentia diei non vitiumque prædicatur, sed cum dependentia à Sole, neque absolute dicitur lucem existere dependentem à Sole, sicuti prædicatur in hac propositione lux est producta à Sole, sed tantum enunciatur ex suppositione apposita conditionis si Sol lucet. Insuper definitionem esse exactam sic proba. Propositio hypothetica est propositio, in qua fit enunciatum ex hypothese, seu ex suppositione; ergo in illa non debet enunciari prædicatum absolute, sed cum addito, ex vi cuius significatur dependentia, seu connexio ab illo addito, quæ nihil dicit in esse absoluto, seu nihil ponit in esse, quia ex hoc modo significandi, qui strictè reperitur in hac propositione si Sol lucet dies esset, neque in esse ponitur existentia Solis, neque existentia lucis aut diei, nullo enim illorum existente prædicta propositio suam retinet veritatem. Ex his inferes in hac propositione si Sol lucet, dies est, prædicatum affici conditione quod est existens, si Sol lucet: illa enim propositio si Sol lucet, dies est, formaliter reddit hunc sensum: Sol est existens, si Sol lucet, ubi additum illud si Sol lucet prædicato appositum facit propositionem nihil ponere in esse, sed tantum significare connexionem, seu dependentiam inter subiectum, & prædicatum.

8 Ex hac definitione inferes malè assignari propositionem causalem inter hypotheticas, quia in illa existentia prædicati absolute enunciat, veluti cum dicitur, quia Sol lucet, dies est, quæ propositio Sole non existente vera non erit, quia ex vi illius absolute prædicatur existentia diei, sicuti prædicatur in ista, Dies est existens productus à Sole lucente. Potiori ratione inter hypotheticas annuerenda non sunt propositiones coniunctivæ, disiunctivæ, & rationales, in quibus omnibus existentia prædicati absolute enunciat, & illam importat secundum existentiam copula est in propositione appositæ. Deinde propositio coniunctiva, Petrus currit, & Ioannes ambulat, non est simplex propositio, sed duplex categorica; ergo non est hypothetica. Probo Antecedens: auditæ hac propositione possum concedere priorem partem, & negare posteriorem, quia verum est Petrum currere, & falsum Ioannē ambulare; ergo hæc propositiones habent distinctam veritatem, & falsitatem; ergo non efficiunt simplicem propositionem, quia simplex propositio simplici veritate gaudet. Quod si velis ex duplici veritate unam confici, sicuti ex duplici propositione una propositio componitur, adhuc argumento non satisfas, quia etiam si ex duplici veritate tertia alia posset componi ex veritate & falsitate, nulla posset assurgere compositio: cum ergo in hac propositione coniunctiva Petrus currit, & Ioannes ambulat, prior pars possit esse vera, & posterior possit esse falsa, non potest ex falsitate prioris partis, & veritate posterioris confici tertia aliqua veritas, aut falsitas, quæ indivisibiliter propositionem afficiat, sed falsitas partem unam, & veritas partem aliam afficiat. Propositio disiunctiva, verbi gratia, Petrus currit, vel Ioannes ambulat, hypothetica non est dicenda, quia importat absolutam existentiam prædicati, etiam non determinatè, sed sub disiunctione, sicuti hæc propositio particularis aliquis homo currit, quæ non magis hunc hominem currentem quam illum ex se importat. Hæc tamen disiunctiva propositio simplex est, & non multiplex, quia simplici veritate gaudet, cum enim dicitur Petrus currit, vel Ioannes ambulat, non licet respondere, Petrus currit, concedo hanc partem; Ioannes ambulat nego hanc partem, et si de facto Petrus currit, & Ioannes non ambulet.

9 Rationalis propositio, v. g. Petrus currit, ergo movetur, quam Summulista inter hypotheticas recensent, neque est hypothetica, quia absolute prædicati existentiam importat; neque simplex, sed multiplex, quod probatur eadem ratione, quæ nuper idem probabam de propositione coniunctiva: quia illi inest duplex veritas, aut falsitas, auditis enim his vocibus, Petrus currit, ergo movetur, respondemus Petrus currit, concedo Antecedens: ergo movetur, concedo consequentiam, & sepe concessio antecedenti, seu priori propositione, posteriorem aliam, consequentiam videlicet negamus, cum consequens non est legitime illi eum.

10 Ex his deducitur hypotheticam differre à categorica ratione additi si afficientis illius prædicatum, ex vi cuius copula est, quæ absolutam existentiam ex se importat, illam tantum dicit conditionatam, ac proinde, et si forma propositionis categoricæ, & hypotheticæ sit copula est, hæc propositiones inter se differunt essentialiter, quia copula est in hypothetica ratione additi tenentis se ex parte prædicati contrahitur ad significandam existentiam conditionatam prædicati, quam absolutam ex se nullo appposito addito in categorica propositione significat.

11 Obiicies contra definitionem propositionis hypotheticæ supra traditam: Hæc est propositio hypothetica, si Petrus est homo, est animal rationale, & tamen prædicatum non restringitur per additum aliquod extrinsecum, quia Petrus esse hominem, quod est additum tenens se ex parte prædicati ab hoc formaliter non distinguitur, & nihil potest esse additum respectu sui ipsius. Respondeo hinc est alias similes propositiones non esse conditionales, ut tradunt communiter Theologi in materia de scientia Dei, ac proinde non esse proprie hypotheticas, eadem enim ratione, & non aliâ, quâ propositio conditionalis dicitur, dicenda est hypothetica. Quia tamen huiusmodi propositiones instar conditionatarum significantur, & in illis utimur conceptu hominis ut distincto à conceptu animalis rationalis, ideo veluti hypotheticæ significantur, eodémque prædicato utimur, ac si sibi ipsi adderetur.

12 Obiicies ultimò, sequi ex eo, quod conditiones sint affectiones prædicatorum, has duas propositiones contradictorias Petrus dormiet, si ego legero: Petrus non dormiet, si ego legero, dari simul falsas. Sequela probatur. In primis prior propositio falsa est, quia falsum est dicere ex mea lectione sequi dormitionem Petri, quod enunciat prædicta propositio. Posterior similiter est falsa, quia ex vi illius enunciat non dormitionem Petri sequi ex mea lectione, sicuti ex vi prioris enunciat sequi dormitionem; quod similiter est falsum, quia ex mea lectione, neque sequitur dormitio Petri, neque negatio dormitionis Petri. Respondeo in omni opinione prædictas propositiones esse contradictorias, quia in omnium opinione sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, ac proinde omnes teneri prædicto argumento satisfacere. Pro omnibus tamen respondeo hanc propositionem Petrus non dormiet, si ego legero, quando est contradictorium huius propositionis Petrus dormiet, si ego legero, non facere hunc sensum, erit negatio somni Petri, si ego legero, sed hunc reddere, ex mea lectione non inferenda est dormitio Petri, in quo sensu non potest esse simul falsa cum sua contradictoria, in qua affirmatur dormitionem Petri inferendam esse ex mea lectione, casu quo hæc existat, & implicat mea lectione existenti inferri, & non inferri ex illa Petri dormitionem.

13 Ratio æquivocationis est; quia quando hæc propositio Petrus non dormiet si legero, est contradictorium huius, Petrus dormiet si legero, necessum est negationem cadere non solum supra copulam, sed supra particulam si legero, quia debet negare prædicatum utrumque, sed quatenus habet additum si legero, quod se tenet ex parte prædicati. Fateor clariùs & sine æquivocatione aliqua assignari pro contradictoria huius propositionis Petrus dormiet si legero, propositionem hanc Non si legero Petrus dormiet. Verumtamen nequit negari has esse contradictorias Petrus dormiet si legero: Petrus non dormiet si legero, licet posterior ista in sensu à me assignato sit explicanda, & alium habeat, qui in obiectione adducitur, in quo prioris propositionis contradictoria non est.

PUNCTUM V.

De Oppositione propositionum.

14 Ariaga disput. 2. sect. 4. Hurtadum impugnatur, qui sic Oppositionem definiuit: Oppositio est repugnantia duarum propositionum circa veritatem, vel falsitatem, quia hæc definitio solum est descriptiva per ordinem ad veritatem, vel falsitatem, quæ est qualitas propositionis, atque melius oppositionem sic esse definiendam: Repugnantia duarum propositionum in affirmatione, vel negatione. Et si posterior hæc definitio detur per affirmationem, & negationem,

B 4 quæ

quæ sunt differentie essentielles propositionum; prior illa in ordine ad veritatem vel falsitatem, quæ sunt veluti passionem seu accidentia inseparabilia propositionum, ex hoc capite neutra reiicienda est, licet enim descripiuè per passionem, vel accidentia, aut essentialiter per differentiam essentialem quodlibet obiectum definire. Dispicet mihi in definitione Ariagæ distinctio vel inter affirmationem, & negationem, quia non secundum vnam vel alteram, sed secundum utramque, repugnantiam habent omnes propositiones, in quibus ipse oppositionem agnoscit; cum vna affirmatiua, & altera negatiua necessario esse debeant. Dispicet etiam utraque definitio, quia neutra amplectitur oppositionem, quæ est inter subalternantem, & subalternatam, quarum utraque necessario affirmatiua, vel utraque negatiua esse debent, & utraque simul vera, aut simul falsa esse potest, ut postea explicabo. In his autem oppositionem reperiri constat ex communi Summulistarum consensu, qui nomine Oppositionis subalternationem comprehendit, id autem nos debemus definire, quod apud communem modum loquendi oppositio dicitur.

2 Melius oppositionem definiuit Toletus his verbis: *Oppositio est duarum propositionum utroque extremo eodem ordine participantium secundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia.* Adderem ego maioris claritatis gratia utroque extremo, eisdem circumstantiis, & affectionibus significato, eodem ordine, &c. Nomine qualitatis iuxta vulgarem loquendi modum affirmatio, & negatio hic intelliguntur. Definitionem hanc omnibus oppositionibus conuenire constabit, cum per singulas illius species discurremus, quod iam præsto.

3 Oppositio quadruplex est, *contradictoria, contraria, subcontraria, & subalternata.* Oppositio contradictoria est omnium maxima, quam definiuit Toletus, *repugnantia duarum propositionum secundum qualitatem, & quantitatem.* Non omnino placet hæc definitio, quia in his propositionibus, *Petrus currit, & Petrus non currit,* est oppositio contradictoria, & tamen non oppositio secundum quantitatem. Restringenda ergo est oppositio secundum quantitatem in definitione significata ad propositiones, quæ termino communi gaudent, & ita definitio conficienda. *Oppositio contradictoria est repugnantia duarum propositionum (subintellige semper, utroque extremo, eisdem circumstantiis, & affectionibus significato, eodem ordine participantium) secundum qualitatem, & secundum quantitatem in his propositionibus, quarum terminus est communis.* Huius oppositionis in his propositionibus exemplum accipe: *Omnis homo currit, Aliquis homo non currit.* Oppositio contraria est duarum propositionum vniuersalium secundum qualitatem repugnantia: exemplum sit in his propositionibus, *Omnis homo currit, Nullus homo currit.* Oppositio subcontraria est duarum propositionum particularium secundum qualitatem repugnantia, ut *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.* Huiusmodi propositiones subcontrariæ dicuntur, quia sunt sub propositionibus vniuersalibus contrariis, *omnis homo est animal, nullus homo est animal,* sicuti inferius est sub superiore; & particulare sub vniuersali. In omnibus definitionibus nomine qualitatis affirmatio, & negatio debent intelligi, quæ verò oppositio secundum veritatem, & falsitatem in illis, reperitur, constabit ex infra dicendis. Oppositio subalternata est duarum propositionum in sola quantitate repugnantia, veluti *omnis homo est albus, aliquis homo est albus.*

4 Nomine qualitatis in prædictis definitionibus affirmationem, & negationem ut dictum est, intelligimus, explicanda est modò quæ repugnantia in his propositionibus oppositis secundum veritatem, & falsitatem reperitur. Propositiones contradictoriæ oppositæ in quacumque materia secundum veritatem, & falsitatem repugnantiam habent, ita ut eo ipso quod vna sit vera, altera necessario falsa esse debeat, & nunquam utraque vera, aut utraque falsa reperiantur; est enim oppositio contradictoria omnium maxima, in qua vna propositio dicit non esse id, quod altera esse affirmat, cum idem non possit simul esse & non esse, sed necessario sit aut non sit: quando est propositio affirmans est vera, & altera negans est falsa; & quando non est, negatiua propositio veritatem, & affirmatiua falsitatem habet. Propositiones contrariæ in materia naturali, & remota secundum veritatem, & falsitatem

opponuntur, ut patet in his propositionibus, *Omnis homo est animal, Nullus homo est animal; Omnis homo est equus, Nullus homo est equus.* Ratio est, quia in materia necessaria prædicatum necessario conuenit omnibus indiuiduis, & ita propositio affirmatiua vniuersalis necessariam habet veritatem & eo ipso quod necessario prædicatum omnibus conueniat, repugnat alicui non conuenire, & ita necessario falsum est dicere nulli conuenire; quod propositione contrariâ negatiua enunciatur. Inuerso ordine idem contingit in materia remota, quia in hac prædicatum cuiusque indiuiduo repugnat, ideo verè de omni indiuiduo negatur, & falsò de quocumque illorum, & de omnibus simul affirmatiua dicitur. In materia contingenti utraque propositio potest esse falsa, quia cum prædicatum sit contingens, potest his & non aliis indiuiduis conuenire, & eo ipso quod his conueniat, propositio vniuersalis negatiua, verbi gratia, *nullus homo est albus,* falsitatem habet; & eo ipso quod non conueniat aliis, vniuersalis negatiua *omnis homo est albus,* falsa est. Non potest autem adhuc in materia contingenti utraque propositio contraria veritatem habere, quia ex duplici contraria vera, verbi gratia, *omnis homo est albus, nullus homo est albus,* duplex inferitur contradictoria simul vera, quod haud difficile ostenditur. Eo ipso quod hæc propositio sit vera, *omnis homo est albus,* hæc particularis sub illa contenta, *aliquis homo est albus,* est vera: ergo eo ipso quod vera sit duplex hæc propositio: *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus,* vera erit hæc propositio *aliquis homo est albus,* cuius veritatem infero ex affirmatiua vniuersali: ergo simul erunt veræ hæc propositiones, *Aliquis homo est albus, & Nullus homo est albus,* quæ sunt contradictoriæ. Idem continget si ex hac propositione, *Nullus homo est albus,* hanc inferas, *Aliquis homo non est albus,* quæ simul cum sua contradictoria veritatem habebit.

Propositiones subcontrariæ in materia necessaria, & impossibili secundum veritatem & falsitatem repugnant, & necessario vna debet esse vera & altera falsa, quæ repugnantia ex eodem capite in his, ac in contrariis procedit. In materia contingenti utraque potest esse vera, quia ex pluribus hominibus existentibus potest hic habere albedinem, & ille albedine carere, & eo ipso quod hic albedinem habeat hæc propositio *aliquis homo est albus* est vera; & eo ipso quod ille albedine careat, propositio hæc *aliquis homo non est albus* est vera, & ita potest simul utraque propositio veritatem habere. Nunquam tamen potest utraque propositio subcontraria esse falsa, aliàs daretur duplex contradictoria simul falsa, quia eo ipso quod hæc propositio *aliquis homo est albus* sit falsa, hæc similiter erit falsa *omnis homo est albus*: ergo si aliàs falsa sit altera subcontraria prioris propositionis particularis videlicet *aliquis homo non est albus,* hæc propositiones *Omnis homo est albus, & Aliquis homo non est albus,* quæ sunt contradictoriæ, erunt simul falsæ.

Propositiones subalternæ in materia necessaria, & remota simul veræ, aut simul necessario esse debent, quia in his materiis eadem est necessitas, aut repugnantia subiecti vniuersalis, & particularis respectu prædicati. In materia contingenti potest vniuersalis esse falsa, & particularis esse vera, quia potest alicui indiuiduo prædicatum conuenire, aut non conuenire, & non omnibus. Si verò particularis falsa sit, vniuersalis necessario falsitatem habebit, quia id non potest de vno aut altero dici, aut negari, multò minus de eodem & de aliis simul cum ipso poterit affirmari, aut negari.

Nonnulli non pauca præcepta tradunt circa oppositionem propositionum oppositarum, quæ omnia propriis definitionibus continentur. In primis enim propositiones oppositæ debent habere idem subiectum, & idem prædicatum, ob quam rationem hæc propositiones, *Petrus est albus; Petrus non est albus,* oppositionem non habent, quod in definitione oppositarum explicatur per illam particulam *utroque extremo, &c.* Deinde debent intelligi pro eodem tempore, & loco, & prædicatum eodem adiectiuo eisdemque aduerbiis, restrictione, ampliatione, & appellatione terminos affici; ob quam rationem hæc propositiones contradictoriæ non sunt, *Petrus currit, Petrus non currit,* quia non important idem tempus; *Petrus currit Matriti, Petrus non currit Toleti,* quia non significant eundem locum; *Petrus est homo, Petrus non est homo albus,* quia adiectiuum non est commune prædicato vtriusque

que; Petrus currit, Petrus non currit velociter, quia aduerbium positum in propositione negatiua, in affirmatiua non reperitur; Petrus magnus est Logicus, Petrus non est Logicus magnus, quia non seruat eadem appellatio: Omne pallium Petri est nigrum, Plurimum pallium non est nigrum, quia restrictio vniuersalis affirmatiua, in particulari negatiua non reperitur, & sic de alijs, quæ omnia in definitione oppositarum significantur illis particulis, eisdem circumstantiis, & affectionibus significatis.

Opportet etiam aduertere in propositionibus, quibus aduerbium inest, debere cadere negationem supra ipsum aduerbium, veluti cum dicimus, Petrus essentialiter est albus contradictoria opposita debet esse, Petrus non essentialiter est albus, si enim hæc redderetur, Petrus essentialiter non est albus, vtrique esset falsa, quia prior hunc faceret sensum, de essentia Petri est habere albedinem, quod est falsum; & posterior hunc redderet; de essentia Petri est non habere albedinem, quod similiter est falsum, quia neque albedo neque negatio albedinis sunt de illius essentia, sed illarum quælibet potest accidentaliter Petro contingere.

In propositionibus quarum subiectum non est commune multis inferioribus, facile potest negatione opposita contradictoria assignari, veluti, Petrus currit, Petrus non currit, seu Non Petrus currit, sumpta particulâ non pro negatione non infinitante, sed negante. Omnes Apostoli Dei sunt duodecim: Omnes Apostoli Dei non sunt duodecim, subiectum enim huius propositionis supponit collectivè, & singulos Apostolos continet tanquam partes illud integrantes, & non tanquam inferiores sub illo contentos. Eodem modo in propositionibus causalibus, & conditionalibus assignanda est propositio contradictoria, si homo currit mouetur: Non si homo currit mouetur. Quia homo currit mouetur: Non quia homo currit mouetur. Id enim quod conditionalis affirmat non est predicatum absolute existere, sed est connexio aut dependentia, quæ esset inter existentiam prædicati & conditionem, casu quo hæc poneretur, & in casuali non vtrumque affirmatur existentia prædicati, sed quasi virtualiter supponitur, & affirmatur causam illius existentie illud esse, quod particulâ quia afficitur, & ob hanc rationem doctè dixit Toletus propositiones has quantitatem non habere, hoc est vniuersales non esse.

PUNCTUM VI.

Nonnullæ propositiones contradictoriæ ex difficultatibus assignantur, ut doctrina tradita circa illarum oppositionem magis innotescat.

PAUCIS hic ad praxim reducam omnia, quæ tradidi Punct. 3. de quantitate propositionum, & de signis illam indicantibus; simulque ex difficultatibus propositionibus se opponentibus contradictoriæ pro recentium Summularum solatio nonnullas explicabo.

Hinc propositioni equus requiritur ad equitandum, contradictoriæ opposita responderet, equus non requiritur ad equitandum, ex his prior est vera, & posterior est falsa, & vtriusque subiectum disiungendum est sub eodem prædicato in eadem propositione, quia illius suppositio neque est distributiua, neque determinata, sed confusa, ab his distincta, iuxta supra dicta. Si verò inquiratur de contradictoria huius propositionis Nullus equus requiritur ad equitandum, hæc erit reddenda: Aliquis equus requiritur ad equitandum, quarum affirmatiua particularis est falsa, & vniuersalis negatiua vera, quia etsi verum sit non posse equitari sine equo, & equum requiri ad equitandum, falsum est dicere aliquem determinatè requiri; verè enim dicimus hic equus non requiritur, & hic equus non requiritur, & in cæteris simili modo, ex quibus legitime inferitur ergo nullus equus requiritur, ex vi cuius propositionis non negatur requiri equum, quod esset falsum, sed requiri aliquem determinatè, quod est verum; & consequenter falsum aliquem requiri: quia per hanc particularem propositionem non solum dicitur equum requiri, sed requiri equum determinatum, ita ut possit assignari vnus equus determinatus, respectu cuius verificetur illa propositio, sicuti potest assignari vnus homo falsus distinctus à reliquis, respectu cuius verificetur hæc propositio, aliquis homo est albus.

Propositio hæc, cuiuslibet hominis aliquis equus currit, cum hac contradictoriæ opponitur, alienius hominis nullus equus currit. Si verò inquiras contradictoriam huius, Nullius hominis aliquis equus currit, hanc reddam: alienius hominis aliquis equus currit. Ratio disparitatis propter quam in prioribus propositionibus signo aliquis contradictoriæ signum nullus opponitur, & in posterioribus inuariatus relinquitur, est quia in prioribus signum cuiuslibet non afficit terminum aliquis equus, & ita illum disiunctiue, seu particulariter supponentem relinquit, in posterioribus verò signum nullius terminum aliquis equus afficit, illudque negat, distributiueque supponere facit ut dicebâ Punct. 3. Propter eandem rationem huic propositioni semper homo currit pro contradictoria est assignanda aliquando nullus homo currit: huic verò Nunquam homo currit. Terminus enim semper non distribuit terminum homo & ita in altera propositione distribuendus est. Signum verò nunquam terminum homo distribuit, illiusque copulam negat, & ita in propositione contradictoriæ opposita, terminus non est distribuendus, sed disiungendus, & copula non neganda, sed affirmanda. Propter eandem rationem huic propositioni Mariti & Roma piper venditur, hanc reddes contradictoriam Matriti, vel Roma nullum venditur piper. Huic autem Nec Matriti, nec Roma piper venditur, hanc oppones Mariti vel Roma piper venditur. Veritas & falsitas harum propositionum dependet ex modo quo res se habere supponitur, sub nulla autem suppositione non inuolente contradictionem vtramque veram, aut vtramque falsam inuenies, sed semper in vna veritatem, & in altera falsitatem agnoscas, si vtramque attentè inspicias.

Hæc propositio Petrus legit, & Ioannes non audit, cum hac contradictoriæ opponitur Petrus non legit vel Ioannes audit, particulâ enim & propositionem coniunctiuam veluti vniuersalem constituit, ut dicebam Punct. 3. Idem illi opponenda est particulâ vel quæ particularem propositionem constituit vt ibidem tradidi. Si in propositione coniunctiua terminus aliquis vniuersalis constituitur, in contradictoria particularis est efficiendus, eademque ratione, si particulari opponatur vniuersalis in contradictoria reddi debet. Exemplum accipe in hac propositione Omnis homo currit, & aliquis equus est albus, cuius contradictoria est aliquis homo non currit, vel nullus equus est albus.

Affirmo insuper contra Arriagam has propositiones Petrus distat à me, Petrus non distat à me, habere strictissimam oppositionem; eandemque in his reperiri, Hæc Chimæra distat à me, Hæc Chimæra non distat à me, quia sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem; ex hisque posterioribus affirmatiua est falsa, & negatiua vera; vtrique enim est de subiecto non supponente, propositio autem negatiua de subiecto non supponente in materia contingentia vera est. Insuper Chimæra quæ non est, non potest esse distans; ergo non est distans, seu est non distans, quia vt ipse Arriaga testatur in Met. diff. 1. sect. 3. subiecti, & ex duobus prædicatis contradictoriæ oppositis enicunque subiecto illorum alterum necessarîo conuenire debet, & ideo eo ipso quod hæc propositio sit falsa, Chimæra legit, verum est dicere Chimæra non legit, seu Chimæra est non legens, quod exemplum adducit Arriaga loco citato. Neque cum dicimus Petrus non distat à me, seu Chimæra non distat à me, est idem dicere Petrus est iuxta me, aut Chimæra est iuxta me, in hoc enim sensu vtrique propositio supra assignata esset falsa, Chimæra enim, aut Petrus non existens in rerum natura neque à me distat, neque est prope me: aliud enim est non distare ab aliquo, aliud esse iuxta illud; primum tantum importat negationem præsentie in spatio remoto, secundum importat præsentiam positiuam in spatio proximo. Fateor vulgari loquendi modo non rarè per non distantiam, approximationem explicari, & tunc hæc propositio Chimæra non distat à me, hunc habebit sensum: Chimæra habet præsentiam, & illam habet prope me, quæ propositio falsa est, & hæc illi contradictoriæ opponitur. Chimæra non habet præsentiam, vel si illam habet, non eam habet prope me.

Solent nonnulli supponere omnem propositionem esse falsam, & postea sic arguunt. Hæc propositiones omni propositio est falsa, & aliqua propositio non est falsa, sunt contradictoriæ; singularis negatiua ex suppositione facta falsa est, vt per se notum est; affirmatiua vniuersalis similiter est falsa, quia est propositio; & supponimus omnem propositionem esse falsam; ergo dantur duæ contradicto-